ANIMA PATRIS LVPI MONACHI CHRISTIANI

S. T. DOCTORIS

Primarii Professoris Regii

Quæsita, & inventa


PER

QVEMDAM

ALETHINVM.

Quærendi occasionem præbuit paroemia.

Ingratis servire nefas.



Anno Domini 1684

EPISTOLA.

ALETHINUS PAMPHILO S. D.

VIvis mi *Pamphile*? & ego vivo. In somnium incidi, ab aliquibus diebus, nimis mirum. Hoc tibi ego his inclusum mitto, non alteri. At quod tu nemini imprudens exhibeas. Imprimendum illud decreveram, cum primùm mihi obtigerat; sed ob validas & meditatas rationes mutavi animum. Quid enim? vera sunt interdum, quæ vel nobis somniantibus accidunt. At ne odium fortè veritas pareret: id vehementer metuo. Tu interim vale: & antithesim nostram inter Doctores primitivæ Ecclesiæ, & binos Lovanienses expecta. Tum quiescent forsan hi, & desinent maledicere, malefacta dum noscent sua. Tu redama *Tuum Alethinum.*

Dabam Parisiis.

CAPUT I.

Alethinus litteras considerat, quas vario tempore recepit contradictorias.

COgitanti mihi, & injurias temporum animo perpendenti, nihil potius erat, quàm mentem eò flectere, unde nasci commune malum omnibus videbatur. Vix perlustraveram partem orbis aliquam: quin in angulis vel abstrusissimis, regnantem fleverim antiquum Adam. Non homo ab homine, non hospes ab hospite tutus: non Christianus à Christiano. Et, quod vel caput illicò videbatur, ii per quos condiendi sunt reliqui, dissecant sese mutuò, & dissecantur ab invicem. Deus bone! si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?

Atque en, ut tacitus hæc mecum pervolvo: tradun-

duntur mihi litteræ. Ac primò quidem, ut fieri solet, inquiro cujus, & unde sint. Dissolvo chartam, legoque: *Dabam Lovanii in Collegio nostro Pontificio.*

Bellè ad rem nostram! dimitto famulum. Solus pergo. ALETHINE.

CUCULLATI nostri perditissimi sunt. Nam omni quidem modo conati erant statum morbi Patris LUPI occulere, sed, quam S T U L T A EST FIDES CELARE QUOD PRODAS STATIM! scripseram nuper nullum ad ipsum admitti, nec ipsum quidem à Facultate nostra ad id deputatum: quæ res multos ex nostris movit ut hominem crederent in insaniam redactum vi morbi, & STULTUM in custodia asservari. Sed aliter habet. LAUS DEO MORTUUS E S T PATER LUPUS, & ab octo diebus in plumbea cista repositus. Et post pauca. *Certè opus Dei est, quod in hac præsertim conjectura obierit. Ipsi viderint, qui per fas nefasque in jura nostra involant. Si Dei pœnas non timeat* (credo legendum *timeant*) *MONACHI DETESTANDI nostra munia ambire pergant. Interim custodiat nos, & uniat Christi CHARITAS. Vale*

à TUO PHILIPPO.

Equidem non legi hæc sine lachrimis. Quid? *laus Deo mortuus est Pater Lupus?* stultus asservatur in custodia, & acclamatur ideo *laus Deo? Monachi detestandi* sunt, *cucullati*, atque iterum, *laus Deo? ô charitas!* unum hoc sciebam equidem, Patrem *Lupum* meritum esse, ut memores essent sui. Ingrata *charitas!*

Circumspicio. Fortè ex armarii scrinio, chartæ prominet nescio quid. Arripio: rectèque epistolæ erant binæ, quas ab eodem hocce viro receperam, dum Romæ eram. Confero. Atque in prima offendo hæc:

Gaudemus equidem, quod, etsi sumptibus Facultatis Pater Lupus comitatus sit. Vir est integritate morum notissimus, & in Augustiniana CHARITATE ferventissimus. Quodque scribas quod illius operâ Doctores

nostri

nostri ad SANCTISSIMI DOMINI alloquium tam facilè admissi sint, non miramur. Deus optimus bonum Patrem nobis conservet.

In altera offendor, quia memor factus horum: *Paramus omnia redeuntibus victoribus. Certè ut Dominus N. nobis rescripsit, debemus totum Patri LVPO quod reconciliati simus. Oramus Deum, ut omnes videamus incolumes.*

Vix mihi spatium cogitandi superest. Tam facilè mutatur *charitas*? idque propter *jura*: idque propter *munia*? *Philippe*, si hæc sint tua: dic ubi *charitatem* legeris quærentem sua. ô *charitas*!

Tam facili tempore optatur incolumis, qui modo vel insanus speratur, vel cessisse fatis? fuit, fuit, inquam, cum illius operâ vobis opus esset quàm maximâ. Recordamini. Et nunc, videre vivum non amatis beneficum, ut postremùm videritis benefacientem. ô *charitas*!

Cantabo tibi toties *charitatem* istam tuam, & recantabo toties: ut *charitatem* discas vivere, quam te delectat toties eloqui. Sed neque hodie tantùm in sententiam ivi longè aliam. Fatebor enim: cum juvenis essem, *charitatem* didici speculari cum *grudiis*; sed, quantum mihi Dominus dedit, operari eam scivi tantùm posteà cum aliis. Qui hæc ergo scripsisti mihi, ne tu nobis succenseas. Nomen tuum tibi honoris causâ subticeo: sed quæ mens mea sit de vobis omnibus, palam facio.

CAPUT II.

D. D. Malderus & Wermius, in somnio, cum Alethino colloquuntur valdè dulciter, de Lectione Regia Patri Lupo collatâ.

Cogitatio istæc mentem meam & concoquebat, & lacerabat, & fatigabat. Vigilàveram ad multum

noctis: cum me arctior, quam solebat, somnus complexus est. Cubanti mihi adesse visi sunt senes duo, Mentis & menti pręse ferebant canitiem. Alterum aspicio; sed quem ut vidi, equidem vim lachrimarum profudi. Ille autem me amplexus, & complexus, atque osculans flere prohibebat. atque ego: quæso, inquiebam, vir grandæve (erat autem *Wermius* meus) unde mihi & quocum optatus venis? ille breviter: hic est *Malderus*, famâ tibi quam facie notior. Tu verò quid mœstus es præ solito? quid rerum agitur Lovanii? edissere.

Tum ego sic orsus sum. Scis quidem, Vir Eximie, à quo ego tempore Lovanii non vixerim: pandam tamen cum ita lubet, quid à fide dignis acceperim. Diem clauseras, cum currebatur. Sollicitudo erat major, quâ munia quærebantur quæ relinquebas, quam sancta illa, quæ tibi justa redderet quæ exigebas. Itur, curriturque. Conclamatur Bruxellas. Lectio tua petitur scholastica. Sed ecce, multis quidem currentibus, quiescens unus bravium obtinuit Pater *CHRISTIANUS LUPUS*, Doctor de Facultate, & mundo tam bene meritus. Non fuit volentis neque currentis, sed miserentis Principis. *Gummaro* autem concessus est Canonicatus, qui usque modò fuerat Lectioni inseparabiliter annexus. . . . . Non est ita, interrumpebat *Wermius*. Lectio eadem est data aliquando, ejusdem ordinis *Valudano*. Juri is cessit non coactus: per transactionis speciem, intra strictiorem Facultatem admissus.

At at, inquiebat Malderus, illáne forte est provincia, quam moderatus ego sum aliquando etiam? ipsissima, aiebam. Tum ille: hoc ergo habe. Quæ modò ab hora secunda ad quartam usque, lectiones duę sunt, fuerunt olim una. Divisus labor est: hora prior, primo mihi obtigit. Minerval erat tum floreni ducenti: idque ducenti tantùm. Conquerimur. Audimur. Beneficium primum conceditur vacaturum in D. Petri

Lovanii, illudque ab *ALBERTO* Principe quondam serenissimo, lectioni in perpetuum annectitur. Vacat Canonicatus. Ii, qui de Capitulo erant, opponunt sese. Canonicatu frustrari, inquiunt, minus doctos. Ita fit. Romanus Præsul annexionem non firmat (firmaverat autem reliquas) annexio ergo solubilis est: per ipsum maximè (quod *Lupo* accidit) per quem fatebuntur vel ęmuli, siqui sint (necdum sciebat hic quosdam esse obduratos) quod concepta fuerit.

Is verò addidit, si archivum Capituli perscrutari cuiquam esset integrum: extare etiam, indubiè, negotii instrumentum. Tum memor fio: hanc forsan ob rationem capitulo succensere quemdam, quia subolfecit ille quod instrumenti nescio quid, fuerit non satis fideliter, ut quidem putabat, custoditum.

Interea rogabat *Wermius* an qui igitur Patri *Lupo* sese opponerent? Tum bis ingemini, bis silui, bis affirmavi. Ad hæc *Wermius*. Facultas illa capacem adorat à quo defenderetur: & illæc ipsa virum ipsum capacem neget, qui munusculo aliquo potiretur? & fuerit quidem ita ut dicitur: fuerit annexum Beneficium; accessorium id fuit tamen. Atque, illius naturam principale sequitur, an è contrà? lectio capaci detur, cum ita Principi lubeat: beneficiumque interea à digno alio non removeatur. Sed à digno. Quid? quod & Religiosi quamplurimi, de Papę licentiâ canonicatu potiti sunt. Audiat hæc, & loquatur *charitas*.

Tum *Malderus*. Et verò si capaces admittantur laureæ doctoralis: capaces non erunt muneris professoralis? certè legi ego plus vice simplici, Academiæ Lovaniensis Professorem primum, egregium fuisse Augustinianum. Non quod mens mea sit, tribuenda Monachis esse omnia! sed quod excludi omninò non debeant. Enimverò, si his isti de suo jure, si tamen jure, concedere vellent paululum, næ non hoc iis fœnera-

nerâret maximè ?at at, exclamabam ego, hoc est quod metuunt : via hæc si pateat uspiam Augustinianis, occludi vixdùm poterit Patribus *Societatis*. Atque malefactum illud vehemens existimant.

Nunc *Wermio* pro ridiculo eram & delectamento. Numquid, aiebat, Patres illi Doctores illic sunt & Licentiati ? sed & hoc utinam ! pûtasne si profiteretur illic unus & alter, tantumne monstri aleretur in tyronibus ? hoc forsan est quod metuunt : ne non tam horridè ; in adversarios debacchari juventus discat, atque nunc ? qui hoc illud ignorat modo, is pius non est. Quamquam tamen & ex Theologis iis, pars sit vel magna ; quæ dum pacis ergò, malum foris dissimulat, bonum interim pii cordis servat. Addendum hoc : in Patribus illis debere amari ; quod nûllus potest sectari. Nam quidem quod illis objicitur ab odii & invidiæ cultoribus ; contemnendum ego hoc arbitror à discipulo *charitatis*.

Verùm, ut ad rem venirem : dentes, aiebam, *Lupus* non habet, si æmulis fides est. Tum, *Wermius*, dentes non habebat dum Facultatem Romæ propugnabat ? tunc, inquam, cum illius operâ ûsi sunt fine superbia ? ex quo excussi sunt autem ?

Instabam ego. Contra sic argumentatur admodum Reverendus & Eximius Vir Dominus ac Magister noster FRANCISCUS VAN VIANE : *is lectionis capax non est, qui laborat IMPEDIMENTO ESSENTIALI : atqui Pater LUPUS laborat IMPEDIMENTO ESSENTIALI ; ergo Pater LUPUS lectionis capax non est*. Minorem negas ? hanc ille ipse probat. *Vocem non habet qua audiri possit à Scholaribus*. Euge *charitas !*

Ad hæc risum non tenuit bonus *Wermius*, atque, ô FRANCISCULE, inquiebat, ex quo tu stentor factus es ? nisi te noscerem ! certè aut impedimentum nullum habet Pater LUPUS, aut majus habes tu. Tumne

ūmne igitur hoc dictum fuit? alienum credo. At at; pergebam ego, acclamant Lovanienses alii, suspendi malumus, quam hoc pati. Illi certè, inquiebat *Wermius*, cum ratione insaniunt. Cum Prophetam sequuntur, non malè faciunt. Suspendium elegit anima ipsorum, cum Job 7. Sed mori volunt potius quàm hæc pati? & volunt emori? discant, quæso, prius quid sit vivere. Tum in cachinnos solutus ubi, aiebat, sepelirentur omnes suspensi? an apud Monachos? at nolunt. An apud suos? at hercle magna foret hæc ignominia. Sed ô suspensiva *Charitas*!

Atque ego. Porrò personam Patris *LUPI* admittere coacti sunt, per decretum *sine replicâ*, ut aiunt. Paruerunt, sed cum P. LUPUM in amentiam redactum, aut mortuum crediderunt. Infirmabatur enim plurimum. Tum illi & ex medicis sciscitari sedulò, & ex præscriptâ medicinâ perscrutari in dies, quæ viri esset salus, & quæ mortis spes. Vidisses per plateas euntes aliquos, inhiantes obstupuisses, & anhelantes horâ omni & momento. Stultum separabant, aut mortuum; & credebant quòd optabant. Sed illum stultum, cuius sapientia prope sunt id quod sunt? sed stultum scilicet, qui ut Augustini tueretur *charitatem*, iniquam illorum siluit falsitatem. Romæ eram.

Tum ego conversus iterum ad venerandū par ingemui de plenitudine cordis: atque, hinc illæ lachrimæ, aiebam, audivi heri per litteras, certa de viri morte testimonia. Sed dicite mihi si videritis sanctam animam. Senes chari exhibete humilem amicum senem: videam post mortem, si liceat, quem salutem.

Tum illi oppidò sese respicere. Negare se viri animā conspexisse: paratos tamen, si ita lubeat, mihi mecum illam quācunque quærere. Et placuit sponsio tam syncerè liberalis, & primò instituimus rectâ properare ad sinum *Abrahæ*, cum locus alius tam castam animam non videretur habere.

CAPUT III.

Procedentes in via offendunt D. Randaxium.

PRocedimus in pace. Per locum primò subobscurum, ac dein totum tenebrosum. Atque inde ubi parum lucis affulsit, oculis sese obtulit campus amœnissimus, vastissimusque. Quem cum per iter è diametro describimus, rogare cæpit interim noster *Wermius*, de urbibus, & populis: at sigillatim quid ageret Lovanii Eximius *Gummarus?*

Respondi. Possessionem hic distulit Canonicatus, *Huensis* in Hispaniam profectus, donec redux esset. Sperabant enim illi futurũ, ut decretum Principis per regem foret mutandum. Tum *Wermius*: numquid Princeps ille Parmensis est, cujus Avus *ALEXANDER* tantam in Belgio sui nominis reliquit memoriam? est ipse, aiebam, tanti parentis proles non degener. Tum *Malderus*: interim cum in Hispaniam proficisceretur *Huensis* istic, quid est, quod Canonicatũ Princeps non traderet alteri, quo *Gummarus* indignum se reddidit? aliquid responsurus eram: at interrupit *Wermius* rogans; sed quid de *charitate* ?.....

Charitas, inquiebam, cara est aliquibus non chara. *Charitas* aliquorum, instrumentum est persecutorum. Audivi tamen nescio quid, subjungebat *Wermius*. Ipse forsan melior recordatur *van Viane*. Quis est Romanus ille, qui durè quemdam increpans dixit, audio quod malè vivant in Belgio, cum Religiosis. Tu igitur cum illic appuleris, refer meo nomine isti scandaloso.........

Perrexissetque *Wermius*, ni voce subitâ appellantis, interturbatus fuisset. Bona dies! exclamabatur, bona dies! respicimus. Atque ecce, sese oculis offert non ita pridem vitâ functus *Randaxius* eruditissimus. Atque, ô! inquiebam, vir amantissime, quàm opportunus ades! atque ille quo properatis viri amicissi-

cissimi? dein *Wermius*, Patrem *Lupum* è vivis cessisse, vivus hìc nobis nuntiat *Alethinus*. Quærimus piam animam. Cui ille. Sed cum peregrinus sit nobis ille, vosque hospites chari, cur non intereà ad *novam Babylonem* secessitis? Nos neque quid hec Babylon esset cogitavimus;neque an talis esset uspiam. Annuimus tamen *Randaxio*; propter ea quæ narrabat tum nobis de hoc loco, magna multa mirabilia.

CAPUT IV.

Describitur nova Babylon, & quid circa illam Alethinus miratus sit.

CUm næ vix stadium confæceramus alterum, prominens in valle castrum conspicitur, structura videbatur insignis, sed quæ præ arborum multitudine spectari satis non poterat. At hiccine, cogitabam, est Babylon nova? cur non in monte posita? an quia, quod de loco subterraneo quodam apud *Minucium Cæcilius* objicit, ut hunc incoleret lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula?

Accedimus. Tum inter pecora pascebantur alia, vaccæ numerosæ, uberibus plenis & lacte distentis. Ad mulctram parabantur: nec nisi viris senibus & decrepitis id curæ erat. Mulierculas munus illud ambientes plurimas, vir nigrâ indutus abigebat flagello.

Tum *Wermius* virum alloqui. Cur, precor ô homo, (sed homo!). sexum illum ab officio impedis? non te miseret ætatis decrepitæ, cui possent illæ cum laude succurrere?

At ille, Apage, inquit, hoc ut illarum sit. Homines sunt. Ac nescis tu, ô quisquis es, quantis natum sit, inter mulgendum, eas ludificari modis? ô *charitas*! ad hæc *Wermius* ridere, sed *Maldcrus* irasci. Quid est, inquiebat, peccata docere nova, si hoc non est? equidem quod sciam ego, de hoc se crimine non accusârunt vel impiæ.

 Ego

Ego interim cum hæc fierent ad fabulas conversus illarum: nihil adeo in harum ore notavi, quam virorum & mulierum secretorum nomina, quæ pudoris causâ pertranseo. Inquirere libuit, unde & sexus ille, & ætas ista, hæc inaudierit. Deus bone! intellexi quod vir flagellans ille, illorum auctor esset omnium, cum nimis liberè, de carnalibus fugiendis dissereret. Retuli hęc nostris: sed tum *Wermius*. Sępe etiam id displicuit, quod tam facilè nostri, non in sedilibus confessionum, sed & ex cathedris, in copulas invehantur conjugales, solius voluptatis causâ exercitas, & ejusmodi, quæ venialia sunt tantum ex ipsorum sententiâ; cum tam multa sint mortifera à *charitatis* zelo extirpanda. Audiat ista *charitas*.

Porrò interim cum cogitarem iterum, hęccine est Babylon nova? & concupiscerem videre omnia: miræ structuræ castrum apparuit. In limine, in porta, in fenestris, ubique, inscriptio erat *charitas*, *charitas*, & iterum atque iterum *charitas*. Dubitare vix poteram quin ii qui habitabant illic homines, *charitatem* conclusam haberent in pixide. Sed pax sit rebus, audite cætera. Ordine cuncta erant non recto. Fundamenta nulla, nisi gigantes superbi, qui fastu suarum manuum, machinam librabant in aëre. Et fundamenta nulla! arces, totâ fabricâ erant minores. Nulla esse poterat conversatio in cœlis. Fenestræ erant angustissimæ: sed angustissima porta unica: ut quæ vix uni transituro sufficeret. Manus apprehendimus invicem; sed istud nescio, quomodo intraverimus. Hoc scio, optasse plurimos ut ne intrassemus.

Castrum hoc non in quadro, sed in circulo positum erat: vallumque appellabant, quod ego in medio castri stagnum conspexi. *Randaxius* intereà, cum admirabilem structuræ rationem exponit, ecce rem admirandam! puellæ plus viginti, ephod lineum deferunt ad aquas. Eunt, lavant, redeuntque flentes. Ego

admirari, & causam tantæ ineptiæ, quam quidem, ut occurrebat, insaniam vocabam, exquirere. Tum una exposuit genus illud pœnæ est huiusmodi. Tota nocte in ephod isto quiescimus madefacto. Ita voluit, qui sacramentaliter nos absolvit. Erat autem frigus asperrimum. Tum cæpit irasci *Wermius*, illiberaliter, inquiebat, factum, atque si ita liceat loqui, immisericorditer! hoc est, & hoc est tandem, Sacramentum exponere odio christianorum, & fabulis hæreticorum.

Placuit hoc mihi subjungere. Evênit res istæc etiam non ita pridem Lovanii. Tum puella quædam in periculum vitæ abducta est medicinâ animæ, vix restituta sibi postmodum per medicum corporis. Roganti autem *Wermio* quis medicus fuisset animæ, tam infelicis, quod in tales manus inciderit, responsum non dedi. Sermonem diverti, propter antiquam viri amicitiam. Indicare *Wermio* Confessarii nomen non volui, ne huic nimiùm forsan ille succenseret. Fuerat enim Dominus *Gummarus Huygens*.

CAPUT V.

Alethinus incidit in Charitatenses.

Cum ista cogitarentur intereà, & agerentur: oculos in altum sustuleram. Videram, & ô me! videram: risum teneatis amici? videram, inquam, olfeceram, tetigeram, sapueram, audiveram *charitatis* synagogam. Nil mihi *Wermius* modò, cum *Maldero*: nil *Randaxius*. Advolo. Sed res tota superiùs agebatur. Fortè fortunâ scalas reperio. Erigo modestè, & scando. Rectè eò pervenio, ex quo fenestra patet, unde videri omnia, tum audiri poterant. Picturam conspicio, in qua *Franciscanus* quis, lagenisq;, pullisque, aliisque vestitus problema fit Multos etiam video libellos; sed rebus intendo malis quæ audiri, quam quę poterant videri,

 At-

Atque in primis tam familiariter sese mutuò appellabant *charitatenses*, ac si *charitas* fuisset mater illorum omnium. Ego apud me cogitabam, *charitatem* quidem loqui pulchrum, sed *charitatem* vivere est necessarium. Sciebam, quod *charitas* non esset virtus oris, sed cordis. Sed cum sermonibus aliquamdiu essem intentus istis; cognovi quod nihil magis loquerentur quàm *charitatem*, & nihil minus intelligerent.

Quanta tunc intellexi! sermo illorum, quantus quantus, erat *charitas*: at sermonis exitus, quantus quantus, odium erat & invidia.

Nihil erat quod morarer diutius. Generoso animo caput per fenestram promitto (an in corpore, an in anima nescio, Deus scit) & cum Apostolo inclamare incipio, *dies mali sunt*; intendensque in eum quem Præsidem noveram, ingeminabam *dies mali sunt*.

Interroga cor tuum, inquiebam cum AUGUSTINO in psal. 98. Vide utrum *charitatem* habeas. *Interroga cor tuum*, repetebam; sed vide, ne quando viscera interrogas mentis, respondeat tibi lingua tui corporis. Estne *charitas*, proscindere fratres tuos in Christo? sint Monachi; sunt Christiani. Si reperis in illis peccatum magnum: magnum! at humanum tamen: bono animo esto, cum tui sint persimiles. Si, ut gravissima suggeram, ex illis reperis famosos apostatas; cogita quod eadem pravitas hos fecerit desertores, quæ te cum tuis facit Monachismi osores. Estne illa *charitas*, spargere, & legere, & fovere libellos, adversus Fratres Tuos, famosos? estne *charitas* in illos invehi vel è cathedris, non ut corrigantur, sed ut contemnantur? saltem hoc habe: *quod tibi non vis fieri, hoc alteri non feceris*.

Interroga cor tuum. *Vique* hâc itur ad astra: dic quod vis, exclama ut vis, jura quod *charitatem* habeas, non tibi credam in æternum nisi opera *charitatis* exhibeas.

CA-

CAPUT VI.

Alethinus evitatâ charibdi in scyllam incidit.

DIxeram propemodum satis. At metuens ne correptionem meam fraternam secus illi acciperent, ac docerent: pedibus alas indidi, celeriterque abscessi. Sed me miserum! omnis eis *charitas* in fumum abiit. Unanimiter impetum in me faciunt, quia benè locutus sum. Iniquo animo id tulerunt, quod *charitatenses* vocati sunt, & volunt tales esse, & nolunt tales dici! ô *charitas!*

Conclamatur interim, ad furem, ad furem. Et rectè quidem meâ sententiâ; nam furatus illis fueram omnem *charitatem*. Lapidor letamine, & poculis & testis, & omni tum tempore reperibili. Totus madefactus ego non abibam, sed avolabam. Et, ut imprudentes fuerant, libellum colligo, quem cum testis unà & poculis è fenestra ejecerant.

Portam intro, quę patebat, abstersurus ita madidum. Sed ecce, ut fieri in somnis solet, illicò reperibar munitissimus. Memet considero, & ubi tutus sim. Sed ecce iterum error peior priore; charibdim evaseram, scylla succedit. Terra, in qua sto, mala est. Attollo oculos. Offendo titulum, sed offendor amplius. Lego: *SYNAGOGA APOSTOLARUM CONFIRMATA à D: D. N. N.*

Obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. Quid? cogitabam: synagoga Apostolarum? & confirmata synagoga, & Apostolarum synagoga? vetante forsan *Apostolo* docere permittitur sexus hic? docere omninò adolescentulas, ut viris suis subditę sint: docere pueros formare crucem, orationem Dominicam & ejusmodi.

Surgens autem una de medio sororum, dixit: viragines sorores audite me. Gratias agamus Domino Deo nostro; qui nobis dedit æquè ac viris, arcana scru-

ſcrutari de altis myſteriis. Diſputatio nobis erit hodie de gratiâ & prædeſtinatione.

Tum quidem omnes arripuere Biblia. In menſa libri erant multi alii quos Sactos Patres nominabant. Quæſtio prima fuit, an gratiæ Dei in ſtatu naturę lapſæ poſſet reſiſti? omnes negaverunt. An omnibus detur gratia ſufficiens? omnes negaverunt. An prædeſtinatio ſit facta independenter à prævifis meritis? omnes affirmaverunt. An Chriſtus mortuus ſit pro omnibus? omnes negaverunt. An plures viri ſint damnandi quàm fœminæ, & an plures fœminæ prædeſtinatæ quam viri? hîc im partes itum eſt. Aliis diſtinguentibus, affirmaverunt aliæ, aliæ negaverunt. Sic argumentatæ ſunt plurimæ: Omnis damnatio eſt à viro, atqui vir producit viros, ergo plures viri damnati ſunt. Aliç autem ſic. *A muliere initium factum eſt peccati.* Eccli. 25. 33: ergo illa, & non Adā, genus perdidit. Ergo ſuum ſexum potius, quā virilem corrupit.

Tum chaos ſubortum eſt. Uti enim genus illud hominum ad rixas melius quam ad pacificam diſputationem natum eſt: Jurgium exoritur graviſſimum: it clamor cælo. Clamitant omnes ſimul eodem tempore. Perguntque eſſe mulieres. Biblia volabant, diſcerpebantur chartæ, ſcamna & ſedes. Defeſſæ interim quieverunt. Atque tum quæ præſederat anteà, exſurrexit. Monitura ſorores charitatis ſororiæ, cæpit aliquid ex Apoſtolo accommodare 1. Corinth. c. 11. *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo..... & alia quidem eſurit, alia autem ebria eſt. Numquid domos & plateas non habetis ad rixandum & litigandum? aut ſynagogam noſtram contemnitis, & confunditis eas, quæ non habent? quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo. Concludam tamen breviſſimè quod fruſtra volueritis in variam ſententiam abire. Dicendum enim fuerat, quod rectè æqualis ſexus erit Ada & Eva, prædeſtinatus & reprobus.* Tum apertè in cachi-

chinnos solutus sum. Audiebar. Accurritur ad me. Sed lapidari amplius non amans abscurri, & me cum aliis ad Sacellum recepi.

CAPUT VII.

Quæ viderit Alethinus in Sacello.

Hic primùm ego in genua procidi, aliquantulùm oraturus. Cum ecce (nox ista nonne admirabilis fuit?) ante me orantem conspicio mulierculam. Orabat vehementer. Scrupulis ego eam divexari existimo. Ultrà scapulas illius erigo memet paululùm. Libellum, quem manu terit, furtivè lego.

Sed execrandam hìc, si alibì, reperis sententiam. De necessitate medii est Deum credere incorporeum, nos sine Dei gratia nihil posse. Et hoc in templo prælegitur! quid est aliud hoc ipsum, quàm novum symbolum condere; & anathema perpetuum incurrere, quod à Nycena Synodo ad usque nostrà hęc tempora est derivatum?

Deus quidem est incorporeus: sine gratia eius nil possumus. Sed quâ gratiâ? an illâ quæ efficax dicitur, an quæ sufficiens? an gratiâ quæ data est omnibus, an quę negata est aliquibus? gratiâne forsan istâ, quam nobis meruit, qui mortuus est pro omnibus, an qui mortuus tantùm est pro prædestinatis? satis hoc atque nimiùm. Dum cuique incipit esse liberum, sua sensa redigere in symbolum: quid jam Synodis opus erit, aut Papis?

Damnati sunt omnes igitur, qui ante Pelagii condemnatos errores, sine pertinacia tuiti sunt, quod postea hi perversores? & *nescitis*, inquit Apost: 1. Cor: c. 3. v. 2. *Quia Templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis*: ubi de animalibus loquitur, *etiam antequam incorpoream, quæ ubique tota est, Dei valeant nosse naturam*: ut ep: 57. circa medium *AUGUSTINUS* interpreratur?

Credebam ego quod & fidem aliquando fabricatuti essent ejusmodi, quâ Monachi crederentur........ ad alia me intereà *Randaxius* evocat. Protrahor ad Sacelli medium. Catechisabatur juventus. Egomet tunc mecum in animo doctrinam considero. Sed quod iniquitas illorum omnium, radicem miserit intelligo. Actum est. Docebatur tenella ætas sententias, quas nî abjuret cum adoleverit, iniquitatis finis non erit.

Director pusionem interrogat. Estne arbitrium nostrum in Adamo perditum charissime? est domine, inquit parvulus. Optimè, subjungit Dominus: & pergit. Daturne omnibus gratia sufficiens? non Domine. Optimè, mi parve. Christusne mortuus pro omnibus? nullo modo Domine. Bellissimè ô charissime. Pro quibus ergo non est mortuus? non pro Juda Domine, non pro reprobis. Tum Dominus: ô optima tempora! laus Deo, hos dies vivimus, quibus veritas tandem à parvulis agnoscitur.

CAPUT VIII.

Quid viderit Alethinus in Bibliotheca?

OPpositurus eram manifestam AUGUSTINI doctrinam: at sequebar, & ita decuit, contubernales meos. Invenis dux erat nobis egregius, Bonę Spei, vestitus, sicut vestiri Theologi Lovanienses solent. Parentes illius noveram, qui quàm probissimè educaverant filium. Dolebam, quia timebam ne & huic accideret, quod contigisse memini aliquando mihi. Facilè juventus suscipit præjudicium.

Hæc dum mecum reputo, Bibliothecam subimus instructissimam: Opera S. *Augustini* litteris descripta aureis. Capsulæ erant aureæ, sermo aureus, aureus ordo, & cuncta erant aurea, propè quale de solis curru scribit *Ovidius*. At & hoc ne missum faciam, ubique erat depicta *charitas*. Indignabamur, quod audérent

derent iterum de *charitate* loqui.

Varii erant tituli : legere erat, *Complutenſes*, *Conymbricenſes*, *Salmanticenſes*, *Sorbonicos*, & denique *LOVANIENSES*. Oculos conjicimus in libellum cui titulus abraſus videbatur ex induſtria. Erat autem *LATOMI* liber *DE MONACHORVM inſtitutis & votis*. Pudebat ſcilicet *charitatem*, virum hunc ſuum de illorum æmulis ſcripſiſſe tam fideliter,

Vidimus illic & *Molanum*, *Driedonem*, *Fromondum*, *Roſemundum*, *Ianſonium* (non *Ianſenium*) ſed & *Ianſenium* utrumque, & opera ipſius, qui tum aderat *Malderus*. *Adrianum VI*. *Lancelottum*, *Tapperum*, & utrumque *Baijum* &c: extra ordinem vidimus volumina ingentia decem. & cur, inquiebamus, nullo ſunt iſtæc loco ? tum juvenis. Gravis, inquit, deſuper eſt contentio. Lis agitur inter Bibliothecarios, an & quis illis locus conveniat. Aliqui inter Theologos diſponenda cenſent, inter Hiſtoricos alii, aliique inter ſanctos Patres.

Convolamus ad titulum. Inſcriptum erat litteris argenteis : *VAN VIANE DE M*. theſaurum repereramus, quem nullus potuit. Sed quid titulus hic ſponderet *van Viane de m*., hoc equidem non intellexi. Si *charitas*, aiebam, per M. ſcribi inciperet : de *charitate* hæc eſſe crederem. Tùm nos litteram M. per vocales quinque duximus, a. e. i. o. u. A, *de materia prima*. E. *de Medicina*. I. *de minutis*. O. *de moroſitate*. V. *de Muſica*. At at, exclamabat *Wermius*, erit forſan *de Maſtellis*. non eſt ita, inquiebat juvenis, eſt de mirabilibus magni mundi. *Malderus* aperit. Sed (res malè facta !) per inadvertentem incuriam negligentis amanuenſis, legi non poterant : atramento enim albo ſcripta erant omnia.

CAPUT IX.

Exeunt Babylone. In via examinant Philippum Ianssenium, & causam Monachorum.

ATque jam primùm jocati eramus propemodum. sed quas nugas omisimus conversi ad seria, & ut illìc libros conspeximus Patris *Lupi*, Juvenem rogavi quid de operibus his & viro hoc censerent sui. Is laudavit, & virum, & opera. Sed sed : laborabat communi vitio *sed* : deplorandum erat quod esset *Monachus*. ô *charitas* !.

Atque, jam inde Librorum titulus, Patrem *Lupum* *PROFESSOREM* exhibebat *REGIUM & PRIMARIUM*. Recordabamur autem tunc, cujus causâ tantam itineris susceperamus molestiam. Valedicimus omnibus, castrumque deserimus. Subitòque illud in fumum solutum erat, quasi numquam fuisset. Quæ res *Malderum* in hanc sententiam movit ut diceret, *stabile non est & firmum, quod fundamentis solidis non est innixum*.

Perquirimus. Atque ut me aspicit *Wermius*, quis libellus, inquit, iste est, quem manu teris ? erat verò is, quem cum testis & poculis *charitatenses* per fenestram ejecerant. Aperimus, legimusque : & librum flandricum esse vidimus, cui titulus *PHILIPPUS IANSSENIUS*.

Ut illum *Wermius* cœpit legere; & hęc, inquit, causa est Monachi, *Patris Gabrielis*. Tum rogat me *Malderus*, qualis istic esset. Respondi ego, pro animi sententiâ : virum esse & insigniter doctum, & timoratæ conscientiæ : at usque adeò strictissimæ sententiæ irretitum, ut immemor videretur se esse Monachum. Hæc res *Randaxium* cum *Wermio* persuasit, paginas hasce breves breviter concurrere.

At familiariter mecum sic agebat *Malderus*. Patrem *Gabrielis* reprehendis ? reprehendendus quam maximè.

maximè. *Monachus* ille causam agit adversariorum; causam tu agis illorum. At hoc negabam. Non acta, inquiebam tueri me, sed jura. De aliis ipsi viderint. Causâ me permotum hâc: quòd invidorum inscitia, *Monachos* velit expugnatos, cum ignoraret maximè, quâ essent viâ impugnabiles. Consideravit id *Malderus* vehementer.

At, pergebat, oporterne igitur tam laxum esse? neutiquàm, aiebam, cognovisti enim me. Medium tenebo semper. Sine *charitatis* initio, salvum neminem esse credo, aut tutum. Sed extremum illum rigorem, quem ne ipsi quidem perferre volunt aut possunt, impugno. Annuebat. At, inquit, quæ summa totius litis est?

Tum ego: si illi quos, quidem per abusum æquè ac per contemptum *Monachos* vocant, ex elemento simplici panem possent excutere: tum gratis possent deservire omnibus. Nunc Templa aperiunt, quin & diebus festivis, sepulturas admittunt. Indigent. Aliàs amici forent adversariorum suorum ad aras usque. Apagè, aiebat *Malderus*: qui onus sustinent cum cæteris, commodum & sentiant cum reliquis.

Et hinc ajebam, maledicta in eos congerunt quamplurima: nec eorum dignitatem reveriti (age mitto dignitatem) nec suę, inquam, *charitatis* memores, verbum de illis possunt, quia nolunt, conferre pacificum. Atque ut dignitatis memineram; euge! subdebat ille, uter tibi jure dignior videtur, *Monachus* an *Canonicus*? lepida quæstio æquè ac faceta! intendo: & sic arguo. Dignitas rerum in rebus ipsis est. Habito, quid in utroque sit, facilè solvetur quæstio. Ac *Canonicus* quidem characterem habet Sacerdotii: sed & *Monachus*. Beneficium ille obtinet, & servulum, & ancillulam. Sed præferendus sit propter hæc? præferendine Sacerdotes illi Presbyteris, qui tempore Apostolorum vivebant in communi? at

si Patres, inquies, legamus, Clericos Prælatos semper *Monachis* videbimus. At *Monachis* Laicis. *Monachi* enim Clerici, ut sunt Clerici, pares sunt Clericis: ut sunt *Monachi*, digniores sunt sæcularibus.

Porrò ut ad rem redeam, maledicta lubet recensere aliqua. Uti existimârunt *Baijani* aliqui quod quidquid facit servus peccati peccatum sit, sic & cutem prius dimittent nostri, quin quidquid facit *Monachus*, id factum malè fit. Non ita pridem in Templo quodam Fratrum Minorum unà mecum Sacro interest solemnissimo, nescio quis Presbyter sæcularis. Interludentibus organis, voce unanimi certè mulcebant animos. Dicam quod sensi tum. Potius erat mihi cantum illum audire, quàm quamvis musicam. Re absolutâ discedimus. Nec nunc istud miror amplius, inquiebam, dulcisonis Ecclesiæ modulationibus, permotum aliquando *Augustinum*. Et neque hoc miror. .... at interrumpor: quid, ait meus, hæc te commovent? hypocrisim non vides? Cantant hi solùm ut populum alliciant, non ut Deo placeant. Justâ movebar iracundiâ. Et cantent illi, aiebam, populum ut alliciant christianum, benè faciunt & rectè: vos autem qui discordi tono sic canitis, ut scandalizetis sæpius populum hæreticum, turpiter facitis & pessimè.

Animadverterat *Malderus*, quod de maledictis illis dicturus eram aliud: auscultabat. accidit, pergebam, à mensibus circiter tribus id quod narro. Collegium aliquod *Patrum Societatis* mihi notissimum, & ubi sum interdum quam familiariter, visurus amicus meus aliquis, rogat ei ut à latere sim. Placet. Experturus ego, noster quid in animo gereret, simulabam illic me nihil noscere. Templum invisimus; atque, inquit, nonne Patres hi superbis ubique gloriantur fabricis? tum ego, hic locus sanctus, est Dei, non illorum Patrum, gloriantur credo in illo. Tacebat. Septa subimus Collegii. Atque obvius fit nobis coquus

cum

cum aliquibus clavibus. Tum noster hunc portarium existimans, hem, inquit, Pater à portâ, Rectorem cupio. Tum coquus: nescio is ubi sit, cum venia, nostra curo: & discedit.

Ægriùs id tulit noster, & quæ hìc, inquit, regula est? pinguemnè adeò ad portam poni cui difficile sit vocare quem quærimus? credo, aiebat, non hunc aliâ de causâ statutum, nisi ut *Societatis* calamitates vultu exhibeat. interim sese offert hortulanus: qui, quia iturus erat foras, ex veste dignosci non poterat Sacerdos an esset, utrum laicus. Modestè nos hic intromittit. Locus erat nobis dignus, ubi pictura hæc erat. *S. Franciscus Xaverius* veste indutus *Societatis*, catechisabat rudes.

Tum noster hortulanò, quem quidem Patrem existimabat graviorem coquo. Reverende Pater, aiebat, vos quidem liberè sanctum hunc *Societati* adscribitis. Bonus hortulanus respondendo non erat. At cautus audi quid egerit. Hem? inquit, quantùm doleo quod nunc rectè foras mihi cogitandum sit. At nihil perdemus spero nihilominus. Occasione, quæ dabitur proximâ ostendam evidenter tibi, id quod petes. Unum dico, litem illam, quam moves ab annis trecentis & amplius compositam. Recessit. Sed heu! quantum debacchatus est noster! à trecentis annis, inquit & istud amplius? boni Patres non sapientiùs insaniunt?

Ego porrò, mi *Maldere* ut brevis sim, pandere tibi non possim, quàm infeliciter hic illâ die inciderit in contraria. Nunc Sacristam Ministrum credidit. Nunc rudimentorum Magistrum, putavit Præfectum &c: Ineptiam conclusit omnium. Sed adest Pater Rector. Noster, mirari viri elegantiam. Atque hic, aiebat, prestabit cunctis reliquis. Noveram. Post multa, cum hinc & inde occuparetur, modestè ego ad aures Patri Rectori significo quid actum sit. Tum ille, dùcam

eam eum cautè, inquit. Advocat portarium, Stupentibus ille omnibus, & quotquot domi essent noscebat & ubi essent singuli ad unum omnes. Dimittitur. Sacrista exactissimè noverat quæ ad Templum spectabant, & ad Sacristiam omnia. Tum ad hortulanum convertimur, qui redux erat. Erubuit noster, in horto videre eum, quem libello impeteré vel jam indè instituerat. Tum P Rector. Hortulane mi à quot annis è vivis excessit *Franciscus* noster ? ab annis inquit centum, & prope quinquaginta. Cur ergo trecentos respondisti huic ; reponit Rector ? ad hæc ille. Si me ille hortulanum scivisset, responsum intellexisset. Dum sero, duplum paro ut certò mihi saltem supersit simplum. Hoc egi. Tam incertus eram de iis quæ rogabar, quàm de fructibus quos expecto. Duplum intendens respondi trecenta, medium manet centum & quinquaginta. Risum emisimus. At coquus supererat. Quem ut vidit noster loquentem tersissimè linguam suæ culinæ : præ confusione insalutatis omnibus recessit. Sed & monui illum postea. Vides, aiebam, religiones corpora esse. Membris constant. Hoc portam custodit, illud campanas trahit, & illud consequentias. Opponite Sacristas Sacristis, Rectores Rectoribus, Doctores vestros Doctoribus illis, invenietis dispares.

Tum *Malderus*. Non legisti umquam *Alethine* quòd ii qui civitatem dederant, sese in adversariorum munimenta coniecerint, & felicius illam recuperaverint ? legi, qudem aiebam. Atque ille. Hoc est quod amarem fieri : ut omnes Monachi & Antimonachi vestem & jura mutarent ? putasne aliquem non mutaturum sententiam ? lepida metamorphosis, aiebam, quæ omnes docet convenire potius & à dicteriis abstinere perpetuis. Sed cum hæc impossibilis sit, placuit rogare *Malderum* : nihilne esset illi consilii, quo partes infensæ usque adeo, conciliarentur sibi mutuò ?

Est

Est aiebat. Primò persuadendi sunt Senatus, Lovanienses aliquos arrogare sibi plusculùm. Ad senatus quosvis appellant ad senatus quoslibet, à Principibus ad Reges, à Regibus ad Papam, à Papa ad placetum (potius placitum) & ita ludificantes omnibus, appellabunt aliquando etiam ad futurum judicium.

Alterum est, inducendos religiosos plerosque, ut omissis quæstionibus aliis, convenientes cum Patribus *Societatis*, sequentia examinent diligenter: quid & quotuplex sit simonia? quæ obligatio audiendi verbum Dei in Parochiis? ubi sepeliendi homines? an Papa permittat Ecclesias Religiosorum sicut permittit Romæ lupanaria? cujus munus sit predicare verbum Dei? (de Episcopis non ago) quales pœnitentiæ injungendæ in confessionibus? qualiter examinari & admitti debeant ordinandi? qualiter erudiri juventus? qualiter præstandum opere quod docetur verbo? quis primò docuerit Lovanii, Monachus Augustinensis, an alius? quid sit ingratitudo? ultimò an rectè mendicitatem aliqui obiiciant aliis, qui mendici sunt virtute, ubi plerique eorum tales sunt à nativitate? & ejusmodi. Hisce & similibus humiliati, ad pacem erunt parati. Nullas modò pacis conditiones admittunt, sed gauderet tum brevi Ecclesia cum ad ædificationem catholicorum, & hæreticorum confusionem, spontè illi se ad pacem componerent. Non enim culpa est omnium, sed aliquorum.

CAPUT X.

Regressio ad Philippum Janssenium.

Absolverat interea cum *Randaxio Weymius*. Atque, inquit, odium quærit sibi auctor hic *Philippus*, quisque ille sit. Cur, si ignorari velit, *Jansenius* vocari cupit? præterea. Impositam tituli (*MORALIS DIABOLICA*) expunctionem ex libro *P. Gabrielis*,

 la-

factam ait, quia sonabat duriusculè. Sed ô diabolica duriusculeitas! duritiem appellet rotundam, Expunctiones insuper agnoscit alias, correctionesque tot tantasque: sed totum pro Patre *Gabrielis*. Totum contrà adversarios, nihil contrà ipsum. Correcta sunt quia obscuriora, & aurium utcumque aliquando offensiva. Omnia tamen adeò, ut adversarii magis confutarentur aut saltem confutentur.

Sed oro te, mi *Philippe*: Pater *Gabrielis* Romam evocatus est ad præmium, an ad scrutinium? & liber ejus prohibitus est ad laudem, an ad examen? ad examen utique. & ad scrutinium. Porrò hoc te rogo, adversariorum sententia, quos tam liberaliter *Iesuitas* nominas, à sacra congregatione intellecta fuit priùs nec ne? mitte precor id quod scio, dic quod rogo, an Pater *Gabrielis* Doctos illos Romanos docuit? non docuit opinor. Sciverunt ergo quid *Iesuitæ* docerent, antequam hunc citarent: Et audes concludere, non rogatus, quod operosum hoc examen, evocatio viri religiosi, prohibitio libri saltem ad tempus, expunctio nonnullorum, & correctio plurimorum facta sit tantùm ad confusionem adversariorum? Bona Dies.

Nullam deinde in re diversitatem asseris inter correcta puncta & corrigenda: oculos non habemus? utinam quidem scrupulos scrupulis addere liceret per otium! licebi tamen spero aliquando etiam. Sed utinam hæc Romæ dixisset P. *Gabrielis ipse*.

Tum *Malderus*, Legi, quantùm recordor, apud *Ruffinum* l. 10. hist: c. 11. *Arium* tam versutè persuasisse se catholicum, ut *Constantinus* catholicum crederet iisdem verbis, quibus intelligebatur *Arius* ab Arianis. Et quia fieri hæc posse cognoverat *Leo* Papa monet ideò *Nycetam* Aquileiensem ut pelagianos hæresim abjurare cogat urbes apertissimis. Ep 86.

Omnis quidem similitudo claudicat, aiebat *Vermius*; Patrem enim *Gabrielis* erràsse non crediderim

ex

ex malitia. Sed hoc scio, malè facturum illum si approbaret *Philippum Jansseninm*. Certum enim esse, mentem non fuisse Romanis, ut apertè profiteretur non se errâsse.

Sed ita *Philippus* arguit. Sicut non indecorum est, si auctor quispiam in secunda, & tertia editione opus auctum esse dicat & correctum, sic laudabile esse Patri *Gabrielis*, quod opus suum correxerit. At non advertit *Janssenius*, quod in auctore isto spontanea laudetur humilitas, in hocce vero coacta possit reprehendi necessitas? certè si *Philippus* sponte se in carcerem conjiceret, extolleretur pœnitentia; at si de mandato Papæ in sancti Angeli Romæ deponeretur: non æstimaretur pœna. Laudabile proinde esset si agnosceret culpam, & ultrò ageret pœnitentiam.

Gavisum etiam ait Patrem *Gabrielis*: quod Sacra Congregatio tanto illum honore affecerit, ut viri tanti, operis ejus correctionem interceperint. Sed gaudere poterit; non minori jure fur, qui in foro honoratur consortio nobilissimo, dum flagellatur ut emendetur. Interponebam ego *Alethinus*, certè cum hominem Romæ vidi, lætitiam tantam in ejus vultu haud notavi. Hoc tamen audio, quod præ gaudio exultabat, quando redux Alpes transiverat.

Postremo *Wermius*. Addit *Philippus*, quod correctis aliis illa quæ supersunt approbata putanda sint & canonizata. Quasivero emendatis quæ tolerari non debebant, approbata sint, quæ dissimulari poterant. Et nonne quæ hodie dissimulata sunt, cras aliquando damnata fuerunt? Certè canonizationem operis sui numquam prędicavit modestia *Augustini*. Retractationes ille scripsit. Nec abrasit tantùm in uno, quantum expungere ille jussus est ex suo. Verum asserit *Philippus*, suum sibi cognitum adversarium: haud nosceres, tu *Alethine*, *Philippum*?

Libellum tum ego arripui, vidensque flandrizata

verba nescio quæ, & styli contorsionem nescio quam, collegi *Philippum* flandrum non esse scio quem.

CAPUT ULTIMUM.

D. Horenbeeckius nuperrimus Gandavensis Episcopus aperit ubi anima Patris LVPI sit.

APpropinquamus interim optato loco. Deliberamus quid facto opus?cum ostium sponte suâ panditur ex voto. Egrediturque quem novimus ex templo D. *Horenbeeckium* Gandavensium Præsulem nuper venerandum. Ades, inquiebam Præsul optatissime. Ecce me,quo usus aliquando es tam familiariter. Tanti laboris iter cum grandævis viris confeci: ut è cælo cognoscerem, quod in terris propè credidi. Quæro piam animam tui quondam, justis ex causis, amicissimi Patris *Lupi*.

Tum Præsul, *vive*, inquit, *ô Alethine. Quam quæris animam non est hic. Adesset autem* ! *ut videret mecum, quod ore non possum eloqui. Tu autem ad terram redi: scrutare viri cellulam: humilem animam reperies in suo corpore. Cupit quidem dissolvi, & esse cum Christo; sed deliberatur etiam, an orbis adhuc egeat Doctoris ministerio. Referes ergo hæc, & nuntius ibis. Si superorum Rector nondum decernat illam è carcere mortalitatis suæ eripere: pergat in timore: proficiat in tremore, non desistat ab amore. Certus illi est in cælo, ac definitus locus; ubi beatus ævo sempiterno fruetur.*

CONCLVSIO

A*biissent omnes, nisi* Wermium, *manu prehendissem, Atqui quid nunc ago ego? aiebam. Scribe, inquit, quæ vidisti fideliter. A scommate abstine & dicterio. Parce prius tuo nomini. Sed quod aperies, si quid fortè, opponenti se cuiquam, responsi dies. Ille post alios discessit: ego somno solutus fui.*

PAMPHILVS AD LECTOREM.

SOmnium hocce suum. *Alethinus* meus miserat non ita pridem ad me. Rogabat hic, ut ne cuiquam omnino traderem. Sed, ut amico amicus est semper aliquis, per imprudentiam ego nimis imprudenter lapsus sum. Legendum dedi, non exscribendum. At is, non mihi, ut credideram, fidelis fuit. Audio enim typis mandari hoc invito me: quod vehementer *Alethiano* displicet. Amicum meum conveni oppressus multis magnis angustiis: & si hoc ita est, aiebam, ut dicitur: si per infidelitatem fidem non servâsti, quam mihi de-

bebas tuam; tu insigniter malus es. At hoc saltem concede offenso, lineas hasce paucas, ut ne omiseris. Culpam me magnam agnoscere meæ imprudentiæ. Scandalizatos rogare ut pro me orare non desinant, veniam ut impetrem à delicto, in quod semel jam primũ incidi. Non me remittent spero illi, in quorum manus incidero, nondum enim sum consuetudinarius.

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol. 14. lineâ 33. *Viane* lege Via nè. Fol. 9. lineâ 20. separabant lege sperabant. Fol. 16. lineâ 4. faßtos lege Sanctos. Fol. 20. lineâ 19. tenis lege teris.

FINIS.

